DE

HAEMORRHAGIA HEREDITARIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. APRILIS A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Philippus Guilelmus Gabriel

BEROLINENSIS.

Opponentibus:

G. WEISE, med. et chir. Dr.

A. DE LA CROIX, auscult. reg.

G. ENDER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

PATRIS MANIBUS

FILII PIETAS

PROŒMIUM.

Morbum non admodum frequenter occurrentem hac dissertatione, pro doctoris gradu rite adipiscendo elaborata, describere statui, haemorrhagiam puta hereditariam, malum rarissimum, singularia symptomata prae se ferens, quorum naturam ut ratione anatomica et physiologica explicarent vel peritissimi viri operam dedere, quod malum eximia vehementia tota hominum genera exstinxit et saepissime ne aptissimis quidem medicamentis restitit. Ex quo tempore medicorum attentio in hunc morbum peculiarem ducta est, diversi quidem haemorrhagiae hereditariae casus observati sunt, sed ne uni quidem observatorum contigit tot videnti, ut certam Symptomatum rationem proponere posset. Cum igitur opera pathologica, exceptis paucissimis, paucis tantum hujus rei mentionem faciunt, pleraque in ephemeridibus de rebus medicis dispersa leguntur, ex hisce varias majoris momenti observationes elegi eas-

que diligenter elaborare conatus sum. Cum igitur compilationis specie apparebit tibi, L. B. haec dissertatio, reputes quaeso, haud quidem decere tale opus clarissimos principes et tanquam lumina nostrae artis, tironis vero viribus id ipsum non facile admodum esse perficiendum, quare has viri juvenis primitias in bonam partem accipere velis.

Haemorrhagia est omnis e corporis vasis praeternaturalis effusio sanguinea. Saepissime est indicium status morbosi in vasorum systemate, attamen vero talis quoque existit, quae, physiologica dicta, ad sanitatem conservandam necessaria est, uti menstruatio normalis. Haemorrhagiarum divisiones admodum diversae sunt, quarum una in haemorrhagias ex causis topicis et ex causis universalibus. Ad hasce haemorrhagiae constitutionales pertinent, quae congenitae sive hereditariae esse possunt. Congenitam eam haemorrhagiam vocamus, quam embryo in utero ex propriis ad res sibi externas relationibus contrahit, quin similis parentum dispositio aut morbus, sub generationis momento praesens, in causa fuerit.

DE HAEMORRHAGIA HEREDITARIA.

I, Definitio.

Haemorrhagia hereditaria est dispositio alicui generi innata ad haemorrhagias varias, a parentibus in liberos translata, quae jam levissimis causis, sive dynamicis, sive mechanicis, nascuntur, et natae vel maxime efficacibus medicamentis resistunt. Evenit tamen nonnunquam, ut ex genere toto uni quidem dispositio ejusmodi, inhaereat, ceteros vero plane praetereat, quo

igitur in casu haemorrhagia non hereditaria quidem apparet, phaenomena tamen in utroque casu eadem. Ad hunc statum morbosum designandum omnino vocabulo caret lingua latina, lingua tamen vernacula, illud quidem genus ad haemorrhagias dispositum „Bluterfamilien" nuncupat, singulum autem, ad Anglicorum medicorum exemplum, qui talem hominem Bledder vocant, nomine „Bluter" appellat.

2. DE MORBI HISTORIA ET LITERIS.

Esse genera, in quibus haemorrhagiae ex singulis organis hereditariae appareant, veteres jam medici cognitum habuerunt, unde causam frequentis vomitus cruenti, haematuriae, haemoptysis, haemorrhoidum fluentium intellexerunt, sed totius organismi dispositionem in tot diversosque sanguifluxus, et vehementissimam haemorrhagiam ex minimo vulnere ortam, non nisi rarissime tradiderunt, quare nescio an medicorum recentioris aetatis observatio existimanda sit. In opere quodam Arabico, quod Paul Ricius inscriptione: Alsaharavi liber theoretice nec non practice, Aug. Vindelicor. Anno 1519 in linguam latinam vertit, locus invenitur, quo talis haemorrhagia hereditaria describitur, haec enim Fol. CXLV auctor ait:

„De passione fluxus sanguinis a quocunque locorum.

> Vidi in quibusdam regionibus casale quoddam dictum alkiria viros qui narraverunt mihi, quoniam, cum accidit in corporibus ipsorum aliquod vulnus magnum, indesinenter sanguis fluit ex vulnere quousque moritur: et recitaverunt mihi super hoc quod quibusdam ex pueris suis cum fricaret manu gingivas cepit sanguis fluere ex illis donec mortuus sit. Alius vero flebotomatus a minutore sanguinis non cessavit ex eo emanare donec periit. Et universaliter eorum mors ut in pluribus contigit in hunc modum. Haec est res quam nunquam et nusquam vidi nisi in casale prae-

dicto, nec reperi hoc accidens ab aliquo antiquorum memorantium, nec scio ejus causam, et quod mihi videtur de curatione ejus est, quod ille cui hoc accidit celeriter cauterizet locum donec sanguis restringatur, et ego minime probavi hoc, et est apud me monstrum.".

Inter Germaniae medicos auctor „ephemeridum medicarum" primus, ut Nasse contendit, haemorrhagiae hereditariae observator fuit; nam ille in topographia, quam anno 1793 edidit, historiam brevem totius generis haemorrhagiis dispositi narrat, atque ex ejus fine conjicere licet, eum nunquam hac de re quidquam audivisse. Libro a Rougemont de morbis hereditariis conscripto, a Wegeler 1) anno 1794 in sermonem Germanum translato, paucis tantummodo hac de re agitur. Ex quo tempore nonnulli tractatus in variis ephemeridibus in lucem prodierunt 2). Plurimi de haemorrhagiis auctores pauca vel

---

1) Abhandlung über die erblichen Krankheiten. Aus dem Französischen übersetzt v. Wegeler. Frankf. a. M. 1794. S. 90.

2) Conspruch im Journal der practisch. Heilkunde von Hufeland. Jahrgang 1810. Mayheft.

Elsasser ebendaselbst 1824 Februar u. September-Heft 1828 November-Heft 1833 November-Heft.

Nasse im Archiv für med. Erfahrungen v. Horn. 1820. Mayheft. Derselbe im Archiv für Physiologie von Reil u. Autenrieth. Bd. X. S. 266. Anmerkung.

J. F. Meckel in seinem Archiv für Physiologie. Bd. II. S. 138.

Hecker's Annalen der gesammten Heilkunde Bd. XVI. S. 56.

Hauck's Zeitschrift. Jahrg. 1833. S. 215.

Schaefer in der medicinischen Zeitung. Jahrg. 1836. No. 24.

Burdach ebendaselbst No. 34.

Casper's Wochenschrift. Jahrg. 1836. Stück 7.

Escherich in Schmidt's Jahrbücher Bd. XIV. S. 25.

nihil fere de hac haemorrhagiae specie disseruerunt 1); in lexicis medicis nonnulla hujus rei continentur 2); libros de haemorrhagia hereditaria singulares ediderunt: Keller, Precht, Rieken 3); inter exteros 4) medicos nonnulli Francogalli, et maxime Americani, observationes de hoc morbo tradiderunt.

3. Ad quas leges Haemorrhagiae hereditariae successio fiat.

De conditionibus, sub quibus haec ad haemorrhagias dispositio

---

Cramer ebendaselbst. Jahrg. 1836. Erster Supplement. Bd. S. 231.

1) Peter Frank: De profluviis cruentis §. 581.

Pinel, von den Blutflüssen, übersetzt von Renard u. Wittmann. S. 25.

Spangenberg, über die Blutflüsse. S. 65.

Schönlein Bd. II. S. 100.

Baumgärtner Bd. II. §. 935.

2) Rust, Handbuch der Chirurgie Bd. VIII, S. 52.

Most, Encyclopaedie S. 924 u. S. 935.

3) Keller de haemorrhagia hereditaria. Vircebrg. 1824.

Preht, de haemorrhagia hereditaria. Vircebrg. 1827.

Rieken, Neue Untersuchungen in Betreff der erblichen Neigung zu tödtlichen Blutungen. Frankf. a. M. 1829.

4) Larborie in der Gazette des hospitaux, wovon ein Auszug in Behrend's Repertorium 1836 No. 23.

Dictionaire des sciences medicales Tome IV. Pag 190.

Hay im New England Journal, welcher Aufsatz übersetzt in Hufelands Journal, Jahrgang 1815, Septemberheft, sich vorfindet.

Otto im Medical repository conducted by Mitschel und Miller. Vol. 6. Newyork 1803.

Beobachtungen von Dr. John Redmann Coxe und Reynell Coates, zwei amerikanischen Aerzten, befinden sich in der Sammlung auserlesener Abhandlungen, welche zu Leipzig erschienen Bd. XXII. S. 272. u. Bd. XXXVII S. 699.

Buels Beobachtungen, mitgetheilt im Hamburgischen Magazin von Gumprecht und Gerson. Bd. III. S. 449.

in diversis gentibus apparet, inter omnes observatores Rieken nonnulla tradit. Haemorrhagiae nempe initium in gente aliqua observavit: proauctorem, senem octoginta sex annos natum, optime valentem fuisse dicit neque ullam causam ad hoc malum posteris hereditate reliquisse. Si tamen Haemorrhagia in gente aliqua adest, tum congruenter in genera sequentia transire solet, rarissime eorum quemquam praetermittit, atque ita progrediens typum aliquem sequitur, in quo exceptiones quidem inveniuntur, sed non adeo frequentes, ut hisce typus solveretur. Ad leges hunc typum constituentes duae praesertim sunt numerandae:

1) Qui haemorrhagia correpti erant, ii fere semper ex sexu masculino erant. Pueris tanquam principatus est hac in perniciosa hereditate, puellae autem profecto praebentes symptomata, quae talem ad haemorrhagias dispositionem indicant, rarissime hisce invaduntur. Qua constantia haec lex soleat existere, jam ex hoc facto elucet. Ejusmodi enim haemorrhagiae non continuo inter progenies inveniuntur, praesertim si ad sexum foemineum pertinent; sed cum eae in matrimonium ductae fuerint, ab his in nepotes propagabuntur, si inter hosce pueri sunt. Inter illos omnes, qui Haemorrhagiae hereditariae succubuerunt et a medicis observati sunt, perpauci e sexu sequiori erant. Dum jam minimum vulnus maribus mortem adfert, feminae contra vulneratae nulla alia phaenomena, quam quae in vulneratis communiter occurrunt, exhibent. Atque etiam menses nec nimii nec frequentes in iis fluunt. I. F. Meckel hac de re in Physiologia tractans animadvertit inprimis pueris neonatis vasorum systema et cor abnorme conformata reperiri, quod saepissime est Cyanopathiae causa, unde sequi videtur hoc systema facillime in hoc genere affici.

2) Dispositio ad haemorrhagias nunquam a patre, sed semper a matre in liberos transfertur, id quod eo magis mirum videtur, quoniam ipsae matres rarissime haemorrhagiis infestan-

tur. Si vir ex illa gente, in qua haemorrhagia hereditaria viget, uxorem ex alia gente, istius dyscrasiae experte, in matrimonium duxit, tum pueri procreati malum non perpetientur; sin autem accidit, ut virgo ex gente, ad haemorrhagiam proclivi, viro sano et valido nupserit, tum omnes posteri, et quidem pueri, ex eadem laborabunt.

4. Quae phaenomena Haemorrhagia laborantes offerant.

Non solum corpus, constitutio et habitus, verum etiam ingenium et indoles illorum qui haemorrhagia hereditaria laborant, tot convenientia, tot similia phaenomena observatoribus, iisque in locis diversissimis versantibus, praebuerunt ut nonnulli medici, symptomatum complexu, istiusmodi viros vel ipso visu sese cognituros contenderent. Describunt autem illos sic: Statura brevis, corpus parvum, valide constructum, infantes ideo serius incedere incipiunt, deliquium animae et vertigo saepissime apud eos observantur. Cutis turgore omnino destituta, laxa corporis partes obtegit, tenuis et albida apparet, vasa valde perlucent; facies inprimis lurida conspicitur, labia colorem exhibent lividum. Fibra musculorum cernitur laxa, velut fluida. Macies primum quidem exigua, major postea. Oculi nigri et fulgentes esse traduntur. Capillorum color magis ad fuscum accedit. Eximiis ingenii dotibus ornati, animo alacri, tamen nugaces et omnia muliebriter agentes; in iracundiam praecipites. Sicut in uxoribus hystericis, ita in illis pica in arenam et calcem observabatur, praesertim post haemorrhagiam suppressam. Alii observatores, etsi pauci, alias indoles iis tribuunt, hisce omnino contrarias, magis ad constitutionem floridam pertinentes, id quod observationis tempore, utrum jam haemorrhagia adfuisset an adhuc instaret, explicari potest. Ricken peculiare nihil, quod ad constitutionem et tempera-

mentum attineat, haemorrhagia hereditaria laborantes habere, censet.

5. Haemorrhagia et ejus decursus.

Haemorrhagiae jam prima aetate vel serius intrare possunt sive voluntariae sive levissimis causis, velut minimo vulnere exortae.

a. Primum igitur mihi disserendum erit de haemorrhagiis voluntariis. Ex omnibus illis, quae hac de re observatores tradiderunt, elucet declinationem de statu sano ad haemorrhagiam in talibus gentibus procreandam, non necessariam esse, sed systemati irritabili semper facultatem sanguinis emittendi inesse. Tali haemorrhagiae certi prodromi praecedunt. Hoc prodromorum stadium mox per longum tempus protrahitur, mox brevissime durat, symptomata offerens, quae plethoram aut totius systematis irritabilis concitationem indicant. Facies antea summo pallore inducta, rubescit; pulsus fortis et frequens tangitur. Alacritas quaedam hos miseros invadit, excitationem quandam et verbis et motibns ostendentes. Alii paululo ante haemorrhagiam exanthemate quodam, Urticariae simili, corripiuntur, alii vehementi pruritu cruciantur, qui praesertim tum animadvertitur, quum sanguis e corporis superficie prorumpit. Prodromum quidam, commemoratione dignissimum, constituunt Ecchymomata, saepissime in haemorrhagia hereditaria reperta, quae crebro sanguinis fluxui proxime praecedunt, sed tum quoque accidere possunt, quum post aliquot menses demum intrat, in quo temporis intervallo saepius evanescunt et iterum apparent. Haec maculae, quibus est forma irregularis, magnitudine valde diversae sunt, nam a lentis ambitu usque ad volae manus magnitudinem inveniuntur. Itemque numero variant; rarissime tamen fit, ut plus quam viginti eodem tempore cernantur. Quinque vel sex dies haec ecchymomata manere solent,

quo temporis spatio variae commutationes, praesertim coloris, animadvertere licet. Cum apparent, colorem rubrum ad purpureum vergentem, vel colorem subcoeruleum praebent, tum ex rubro in viride mutantur et postremum lurida inveniuntur. Hisce mutationibus, quas maculae absolvunt, omnino earum natura definita est, easque aut ecchymomata vera aut cujusdam sanguinis quantitatis exsudatum, in telam cellulosam sub cute sitam, effusum esse, plane patet. Hoc decursu absoluto plane evanescunt, sed mox denuo intrant et interdum tam frequenter sese excipiunt, ut nonnulli haemorrhagia hereditaria laborantes nunquam iis per totam vitam liberentur. Rieken istiusmodi virum vidit, ex quo ecchymomata per undecim annos mox apparebant, mox evanescebant, neque haemorrhagiae, nec aequales nec intercurrentes, intrabant. Porro his in ecchymomatibus durities quaedam, tactu percipitur. Nunqnam dolorem movent, rarissime dehiscunt. In totius corporis superficie exoriri possunt, saepissime in pedibus, interdum in regione sacrali, rarissime in brachiis et pectore. In corporis partibus valde musculosis, exempli gratia in natibus, cum cutis inflammatione et dolore conjuncta sunt, et his in partibus parva ecchymomata, si cum ceteris comparaveris, magnum tumorem, iisdem similem qui in Scrophulosi exoriuntur, praebent. Ecchymomata, hisce plane similia in haemorrhagia hereditaria laborantibus jam post minimum ictum, post mediocrem impetum in corpus nascuntur. Etiam in feminis e gente ad sanguinis fluxus dispositae ecchymomata saepissime inveniuntur praecipue primis aetatis mensibus et illo tempore, quo primae menstruationis molimina intrant. Hoc vero in sexu ecchymomata tanquam prodromi haemorrhagiae non timenda, nam ut supra dixi, foeminae rarissime haemorrhagiis tentantur et ecchymomata magis diathesin, hereditate acceptam, in hisce nobis indicant. Ob perpetuam horum ecchymomatum praesentiam, medici qui diversos haemorrhagiae gradus statuunt haec primum quidem gradum, secundum autem

diversas haemerrhagiae formas atque etiam lethales constituere censent. I. F. Meckel tertium gradum in Cyanopathia invenire sibi visus est, quod malum cum hoc, de quo nunc ago, in plurimis quidem partibus congruit, maxime tamen ab eo differt; atque id discrimen in sequentibus proponam.

Post prodromorum stadium haemorrhagia intrat, quae aut vehementia aut constantia aegrotorum vitae periculum affert. Nonnulla adhuc commemoranda sunt de partibus, quae sanguinem emittunt et de iis quae momenta haemorrhagiae voluntariae ineuntis censentur. Quamquam ex organis omnibus sanguis hoc in morbo prorumpere potest, attamen nonnulla prae ceteris diliguntur. Ut inter omnes haemorrhagias saepissime epistaxis observatur, quia membranae mucosae Schneiderianae structura in hominibus tam tenerrima, ita hac in peculiari specie invenitur, in qua facillime mortem affert. Saepe e gingiva sanguis profluit, in neonatis e funiculo umbilicali; raro Pneumorrhagia, Haematemesis, Haematuria, perraro tamen haemorrhagia ex oculis et auribus oritur. Ex oculis exempli gratia Burdach 1) eam prodire vidit. Casus in quibus ex omnibus corporis integumentis sanguis emittitur itidem rarissime observabantur. Dr. John Redmann Coxe 2), se haemorrhagia hereditaria laborantem vidisse narrat, in quo primus sanguis auribus, naso et occipitis integumentis, vulnere omnino nullo, emissus et quasi per cutem persudatus fuerit. Epistaxi et sanguinis ex auribus profluvio hoc in casu suppressis occipitis integumenta non solum majorem sanguinis copiam profundunt, sed etiam ex humeris et ventre profunditur. Brevi ante mortem extremi et manuum et pedum digiti ac totius corporis articuli sanguinem emiserunt.

---

1) Medicinische Zeitung. Jahrg. 1836. No. 34.
2) Sammlung auserlesener Abhandlungen e. t. c. die zu Leipzig erschienen. Bd. 22. S. 273.

Quod ad aetatem pertinet, in qua haec haemorrhagiae intrare solent, nullum vitae spatium liberum, nullum prae ceteris praecipue haemorrhagiis obnoxium reperitur. Pleraeque observationes profecto in liberis factae sunt, ita ut hanc aetatem inter omnes ad illas maxime proclivem esse putares, sed quum respexeris hasce haemorrhagias jam primis vitae mensibus aut annis intrare, illis vires exhauriri et praematuram mortem adduci, illa opinio, puerilem aetatem praecipue ad sanguifluxus esse propensam omnem probabilitatem plane omittit. Nasse 1) omnium observatorum solus, re vera levationem, annorum decursu allatam, vidit. Neque terminus a quo haemorrhagia intrare solet, certe constituere valemus, quamvis nonnulli primam dentitionem majoris momenti in haemorrhagia apparente esse censeant, quae opinio multis exemplis, ubi jam primis diebus sanguinis profusio intravit, refutatur.

Utrum terrestres aut cosmicae vires, an vicissitudines frigorum et calorum haemorrhagiae originem faveant, valde adhuc dubium est. Censpruch eas in familia aliqua, quam observavit, tantum aut verno tempore aut autumnali, intrasse dicit. In casu, quem Larborie 2) describit haemorrhagiae hisce solum anni temporibus invadere solebant. Schaefer 3) aliique similia proferunt, unde patet haemorrhagias voluntarias hisce tempestatibus convenire. Haemorrhagiam autem luna crescente semper intrasse Nasse commemorat.

b. Cum Sanguinis profusiones externis causis procreatae sunt, res vel levissimae mortem efficere posse videmus. Hoc modo mors vulnere acumine facto, aut hymene in nocte geniali dirupto, aut silice nucis juglandis magnitudine in manus unguem cadente, concitatur. Casus in quibus dentium evulsione

---

1) Horn's Archiv Jahrg. 1820. Mayheft.
2) Behrend's Repertorium Bd. 1. S. 410.
3) Med. Zeitung Jahrg. 1836. St. 26.

mors adducta est, saepissime ab auctoribus referuntur. Commemoratu maxime digna est vulneris ratio, et duo jam momenta, quemadmodum vulnera haemorrhagia hereditaria laborantium ab ceteris omnibus vulneribus differant, haec nos edocent.

1. Sanguifluxus, qui statim post vulnerationem intrat, non vehementior atque in similibus vulneribus apud ceteros homines esse solet. Vulnus ceterum ita se habet, ut mox coeat et sanationi accedere videatur, atque etiam in nonnullis casibus sanatio jam perfecta fuit, quum, quod inter quintum et octavum diem ab vulnere accepto fieri solet, haemorrhagia ex tota vulneris superficie exoriretur, quae per aliquot dies durans, mortem in cicatrisationis stadio attulit. Casus quoque exstant, in quibus mors, statim post vulnus acceptum, intravit, atque ejus generis observationes Ephemeridum auctor, Boardley aliique commemorant. 1)

2. Exigua porro ex magnis et copiosissima ex parvis vulneribus haemorrhagia, quum ad ceteros homines respicis, valde notanda est. Reynell Coates, virum haemorrhagia hereditaria laborantem vidit, qui falce vulnus altum in manu exceperat, quod paucam sanguinis copiam emisit, dum parva in eodem viro vulneratio ferri candentis applicationem ad sanguinis profusionem sistendam exegit. Omnes auctores quidem admiratione afficiuntur, quod omnes haemorrhagia hereditaria laborantes facillime et sine ullo detrimento vaccinationem sustinent, sed de hoc loco in capite de Therapia disseram.

Jam expositis duobus discriminibus illis gravioris momenti in haemorrhagiis, reliquum est, ut res aliquas, quae in his haemorraghiae speciebus eaedem sunt, exponam.

Saepissime quaestio movebatur quae natura haemorrhagiae

---

1) Leipziger Abhandlungen Bd. 37. S. 717.
Hufeland's Journal. Bd. 59. S. 110. Bd. 58. S. 104.
Dictionaire des sciences. Tome IV. P. 190.

sit? Illi, qui hanc accuratius definiunt, parenchymatosam fuisse et sanguinem quasi e spongia emanasse, contendunt. Verisimile est, quod inter omnes Buel animadvertit, praecipue vasa arteriarum capillaria vexata esse hac in haemorrhagia, et quidem non solum ob sanguinis rationem, de qua re statim sermo erit, sed etiam ob vim qua sanguis erumpit. Sanguis profluens est candicantis e rubro coloris et tenuissimus, difficillime coit, saepissime odorem foedissimum edit, quem alii cum eo, qui in magnis ulceribus suppeditat, alii cum illo phosphori comparaverunt; alii adhuc sanguinem effervescentem invenerunt. Quo diutius sanguis profluit, eo tenuior fit, donec humor sine colore, serosus, in speciem aquae emanat. Sanguinis effusi copiam non facile est determinanda, ut ex supra dictis intelligi potest, sed ex copia, certo quodam tempore collecta, haemorrhagiae vis est aestimanda. Reynell Coates 1) copiam constituit, quam haemorrhagia hereditaria laborans intra dierum undecim spatium amisit, ad mensuras tres ejus ponderis, quod galones appellat, respondentes viginti quatuor libris. Schaefer 2) sanguinem inter horarum viginti quatuor spatium amissum tres aut quatuor libras explevisse dicit, idemque haemorrhagiam per tres vel quatuor dies durasse tradit.

6. De organismi statu et ratione mortis haemorrhagia hereditaria laborantium.

Hae haemorrhagiae diversis phaenomenis stipantur, quae ad systema et irritabile et sensibile corporis affectum pertinent et labores, maximam virium inanitionem indicantes, sequuntur. Ab haemorrhagia saepissime cordis palpitatio vehemens oritur,

---

1) Leipziger Abhandlungen Bd. 37. S. 713.
2) Med. Zeitung No. 26. 1836.

pulsus magis magisque debilior et frequentior, surrigit interdum usque ad centum et triginta ictus, animae deliquium et vertigo superveniunt, facies antea lurida, nunc erubescit et intumescit, vires laborantium celerrime exhauriuntur, aurium susurrus, photopsiae, oculi omni fulgore carent et tanquam exstincti apparent; halitus fervidus, respiratio brevis et celeris, venter collapsus, rugatus, non dolorificus; manus et pedes cerae similes, frigidi; urina parca et pallida. Si evenit, ut haemorrhagia sistatur, haec virium exinanitio sanguinis fluxu facta, cui saepissime vomitus et diarrhoea accedunt, non tam diu quam fortasse expectas perseverat, laborantes celerrime reconvalescunt, donec malum haemorrhagia recenti redit. Saepe tamen in sanguinis fluxu mors, virium exinanitione adducta, convulsionibus perpetuis et facultatibus animi sublatis intrat. Rarius fit, ut morbus haemorrhagiae consecutivus vitam tollat, ut Elsasser hydrope, Krimer tabe subveniente, mortem intrare vidit. Quum dispositio in haemorrhagias jam primis annis adest, quae jam puerili aetate vires conficiunt, fieri non potest, quin laborantes a periculis, quibus plerumque vexantur, muniantur, quare fere omnes mortem maturam obeunt. Exemplum hac de re Larborie nobis obtulit, quum ait: familiam quandam a se observatam esse, in qua, ex duodeviginti liberis quindecim numero priusquam tertium annum explevissent, decederent. Sententia experientissimi viri Hay, hoc malo laborantes tum quoque quum haemorrhagiis evasissent, vita admodum brevi frui, non probabilis videtur. Quam sententiam ut confirmaret, unum exemplum affert, in quo in gente Appletoniana, quam observaverit, summa aetas, quam unus e familia consecutus fuerit, quinquaginta quatuor annos attigit.

7. Hujus cachexiae nexus cum aliis morbis.

Expositis origine et decursu haemorrhagiae, e quibus plane patet, hoc malum a ceteris similibus calamitatibus valde differre,

sequitur, ut rem persequar, quam quidem jam primi observatores referunt, sed Rieken inter omnes medicorum attentionem ad eam commovit, quam maxime spectandam esse hoc in malo, praesertim in ejus curatione, optimo jure contendit. Saepe enim arthritidem haemorrhagia hereditaria laborantes occupare observare licet, itaque nexus inter utrumque morbum subesse videtur. Quum morbi omnino in illis eadem prorsus symptomata prae se ferant atque in ceteris aegrotis, cumque haemorrhagia hereditaria loborantes nulla majori in morbos dispositione insigniti sint, si Haemorrhoides exceperis, quae in plerisque adesse dicuntur et quarum praesentia facillime est perspicienda, eo mirabilior arthritidis assiduitas hisce in calamitosis videtur. Arthritidem cum systemate irritabili cohaerere jam diu inter omnes constat. Kreysig jam docuit naturam et arthritidis sedem hoc in systemate esse et vasorum tunicas praecipue esse affectas. Ex rationibus inter arthritidem et haemorrhagiam hereditariam has haud parvi habendas res afferam: Dispositio ad diversas sanguinis profusiones hereditate accepta in iis invenitur, quorum parentes et avi arthritidis symptomata praebuerunt et in descendentium cognatione et in linea collaterali affinitatis cachexiae illius calamitates frequenter observabantur. Porro arthritidis molestiae in haemorrhagia hereditaria laborantibus ipsis et praesertim harum vices cum sanguinis fluxibus semper fere animadvertuntur, ita ut illae vicariae quasi apparent. Elsasser virum novit quem, quum per longum tempus sanguinem non emitteret, gravissimi articulorum dolores in toto corpore, magna intumescentia stipati, invadebant. In illo casu, quem jam commemoravi, ubi dispositio ad haemorrhagias annorum decursu imminuebatur, arthritis successit, quae in illis articulis, quos invaserat, magna ecchymomata reliquit. Si utrumque malum comparaveris, multa in iis convenientia de teges: Sanguinis enim fluxus iisdem anni temporibus intrant et crebro mortem afferunt, in quibus arthritidis accessiones

ingravescunt. Haemorrhagia hereditaria utrumque sexum, viro praecipue, invadit; arthritis, maxime sub forma acuta, rarissime feminas tentat. Atque arthritidis successio per sequentia genera variis observationibus confirmatur. In arthriticis, etsi ad haemorrhagias non propensis, sanguinis fluxus saepius occurrunt, ubi arthritide laborant; in hac cachexia etiam sanguinem in cutis telam cellulosam transeuntem et petechiarum formam praebentem observatores viderunt, quae res optimam analogiam cum ecchymomatibus in altero malo exortis constituit. Nonnulli, ut supra dictum est, haemorrhagias luna crescente moveri animadvertisse se volunt, idemque de arthritidis insultibus fertur. Haec igitur facta nexum inter arthritidem et haemorrhagiam hereditariam demonstrant et opinionem illam, quam Rieken protulit, haemorrhagiam hereditariam in cachexia arthritica connata simul exsistere, comprobant.

8. De morbi natura et analogia.

Quod ad causas hujus haemorrhagiae proximas attinet, haec videntur statuenda.

1. Sanguinis copia aucta, spissitudo ejus diminuta est. Omnes enim hujus mali observatores in eo consentiunt, sanguinem profluentem tenuem et aquosum fuisse, odorem crebro foetidum sparsisse, neque coagulum, quocirca prima coercendi sanguinis conditio defuit, formasse. Hae sanguinis proprietates procreatae videntur, quod, seri copia praevalente, fibrinae copia diminuta est, dum cruor, diversis rationibus sero quasi oppositus, fibrinae tamen simillimus, in quadam dissolutione versatur. Quam ob sanguinis naturam et ob alia in haemorrhagia hereditaria laborantibus phaenomena, alii hunc morbum cum Scorbuto, alii cum Cyanopathia, cujus altior gradus sit, comparavere. Inficias quidem ire non possumus, similitudinem quandam inter utrumque morbum esse, quoniam, ut arthritidis ita

etiam Cyanopathiae formam gerit haemorrhagia hereditaria, attamen quum causarum nexus non idem atque in illa existat, re vera Cyanopathiae similis tantummodo, non vero propinqua existimanda est. Hoc malum et haemorrhagia hereditaria in eo conveniunt, quod uterque morbus infantilem praecipue aetatem invadit, maturamque mortem affert, praesertim in autumno. Etiamque in haemorrhagia hereditaria laborantibus corpora livescunt, in utroque morbo animus ad iram promptissimus est atque aegroti optimis ingenii facultatibus exornati sunt. Tum vero Cyanopathia saepius est morbus dynamicus neque semper abnormi cordis structura, ut Marcet primus animadvertit, efficitur. In utroque morbo magna est in varias haemorrhagias dispositio, quae semel ortae, difficillime sistuntur. Hic vero sanguifluxus valde differre haemorrhagiam hereditariam ab Cyanopathia luculentur ostendit, nam sat elucet hoc in malo systema venosum, in illo magis arteriosum affectum esse. In hoc sanguinis venosi, in illo sanguinis arteriosi coagulatio diminuta est, quia hyperoxydatione fibrina nimium liquida facta est. In haemorrhagia hereditaria systema arteriosum morbi sedem esse porro ex eo patet, quod praecipue pueri, rarius puellae, in quibus systema venosum praevalet, infestantur. Tum hanc sententiam confirmant et illa constitutio supra commemorata, et vis Natri sulphurici, fere specifica nominanda. In ultimis morbi stadiis utrumque sanguinis systema laborare vix dici oportet, sed in haemorrhagia hereditaria systema arteriosum idiopathice, in Cyanosi sympathice correptum esse silentio praetermittendum non est. Sanguinem haemorrhagia hereditaria laborantium a sanguinis in Cyanopathia et Scorbuto conditione differre jam ex usu diversorum medicamentorum, ut acidorum, ferri sulphurici etc. plane patet. In hisce quidem morbis illa remedia magnos effectus praestant, in haemorrhagia hereditaria autem sine ullo fructu adhibita sunt. Itaque non solum causa chemica hanc dispositionem in sanguifluxus provocat, sed etiam

dynamica accedit, quam J. F. Meckel inde explicat, quod foetus in inferiore conformationis gradu permanserit. 1)

2) Quod tunicae vasorum tenuissimae hoc in morbo inveniuntur bene respiciendum est, ex hoc enim fit, ut sanguinem exire sinant. Itaque quarere possumus, utrum haec insolita vasorum tenuitas primae formationis vitium an sanguine provocata sit? Elsasser et Rieken, hanc quaestionem agitantes, alteri opinioni indulgent.

9. Historia morbi.

Ut exemplum, qua constantia malum propagetur, afferam, illam historiam, quam Kriemer memoriae tradidit, breviter excerptam recitabo: 2)

Praegressi saeculi initio in Saxonia matrona quaedam vixit, sanis parentibus genita, cujus patruus vehementissima epistaxi saepissime laboravit, articulorum doloribus cruciabatur et aetate

---

1) Nicht blos die festen Theile werden häufig in ihrer Entwickelung gehemmt, häufig weichen auch die flüssigen auf dieselbe Weise von der Regel ab. Bei der angeborenen Hirnhöhlenwassersucht ist das Blut regelwidrig dünn und farblos, im Gehirn abundirt die Flüssigkeit im Verhältniß zur festen Substanz. Auf ähnliche Weise ist nicht selten das Blut ungewöhnlich flüssig und im regelwidrigen Uebermaaß vorhanden, wovon häufig leicht entstehende und tödtliche Blutflüsse die Folge sind. So wie Formabweichungen häufig erblich sind, so pflanzt sich auch die regelwidrige Blutbildung durch mehrere Generationen fort, was sich indessen unter das allgemeine Gesetz der Familienähnlichkeit fügt, die sich durch den gesunden so wie den kranken Zustand ausspricht.

Daß diese Beschaffenheit des Blutes Foetusähnlichkeit, zugleich aber Cetaceenähnlichkeit hat, braucht kaum erwähnt zu werden. (A. a. O.)

2) Horn's Archiv. Bd. I, 1820. S. 409.

viginti quinque annorum mortuus est. Tres ceteri ejus patrui quidem etiam arthritide atque haemorrhoidibus laborabant, nunquam vero sanguinem emiserunt et senes tandem mortem subierunt. Illique tres fuerunt sorores, quinque fratres. Hi omnes haemorrhagiis plerumque externis causis ortis defuncti sunt, neque ullus eorum ultra novem annos vitam degit. Sororum una in matrimonium ducta, secunda, viginti unum annos nata, febri nervosa exstincta, tertia, quam infra commemorabo, in matrimonium ducta est. Matrona ipsa in matrimonio septem pueros atque duas puellas peperit, quorum adhuc puer, unus et una filia jam uxor ducta superstites sunt. Sex illorum puerorum, arthritidis doloribus affecti, diversissimis haemorrhagiis consumti sunt, priusquam tredecim annos explerent. Puella, tres dies nata, convulsionibus et corpore livescente mortua est. Puer, qui reliquus est, laboravit quidem vehementissimis sanguifluxibus, sed superatis illis, uxorem duxit, et tres liberos progenuit, qui nullam in istiusmodi morbum dispositionem ostendunt. Soror nupta, jam supra commemorata, quatuor peperit liberos, e quibus duo pueri unaque filia adhuc vivunt, dum quartus, paucis post partum diebus, convulsionibus catarrhoque suffocativo, livescente corpore defunctus est. De posteris generibus nihil expertum habemus.

10. Cadaverum dissectio.

Quae cadavere dissecto reperta sunt, ea in universum cum iis conveniunt, quae in cadaveribus eorum inveniri solent, qui alia haemorrhagiae specie defuncti sunt. Varia nonnulla tamen momenta in hac haemorrhagia sectiones praebuerunt. Cadaver in omnibus partibus pallidum apparuit, si illos locos exceperis, qui ecchymomatibus per vitam impleti erant. Quum sanguis e corporis superficie sponte effluxit, tum haec pars parvulis foraminibus quasi perforata, apparuit. Totius corporis arteria-

rum parietes valde tenues et fere pellucidi inveniebantur, magis venis quam arteriis comparandae. Blagden superficiem externam tunicae intimae carotidis in nonnullis partibus depositione aliqua alba obtectam, arteriam non pellucidam et mutationi, quae arteriarum ossificationi praecedit, similem vidit; Elsasser angulum, carotide et artèria innominata formatum, glandulis induratis, fere cartilagineis impletum, invenit. In venis paucum liquoris serosi, colore e flavo in rubrum, inerat. Porro magnae sugillationes in vulnerum ambitu, si quidem vulnus mortis causa fuit, reperiebantur. Tales sugillationes in casu illo quem Elsasser 1) descripsit, inter externa capitis integumenta et pericranium affuerunt. Nonnulli aquam in ventriculis lateralibus et canali medullae spinalis repererunt.

Inter organa pectoris praecipue glandula thymus infantium magnum pallorem ostendit. De cordis statu pauca in scriptis legere licet, saepissime tamen nec structura nec forma ejus mutata; in casu tamen quem Ephemeris quaedam Anglicana nobis tradidit 2) cor valde hypertrophia adauctum fuit. Escherich 3) in civis academici alicujus cadavere, qui certamine vulnus cutaneum in facie acceperat et post quinque horas haemorrhagia mortuus erat, cor ita constructum invenit: Valde pallidum, omnino molle et sanguinis expers erat, in atrio dextro parvum cruoris coagulum versatum est; foramen ovale partim patuit, pars clausa tenuis et pellucida. Valvula foraminis ovalis parva, aperturam non plane obtegens. Membrana porro, foramen ovale claudens, adhuc ligamentulo quodam tendinoso particulatim obtecta erat. In abdomine saepissime lienis volumen auctum cernebatur. In casu quodam, in quo primum vulnus, tum anus sanguinem emiserunt prima intestini tenuis pars, usque ad-

---

1) Hufeland's Journal, 1824, Septemberheft.
2) Medical and physical Journal No. 237.
3) Schmidt's Jahrbücher 1837. Bd, XIV.

ileum, pallida apparuit, ileum muco quodam rubro impletum, totum intestinum crassum colorem rubrum saturatum ostendit, et praecipue rectum. Glandulae in intestino tenui fere normales, in intestino crasso auctae et induratae apparuere.

II. Therapia.

Primum de cura palliativa disserendum est, in qua haec respicienda:

1) Jam principio corpus, hoc malo affectum, roborandum et fibra solidior et validior reddenda est. Ad hoc efficiendum lavationes frigidae instituantur, quae statim post partum incipiantur necesse est, et quibus infantes sensim sensimque assuescendi sunt. Postea aquae salinae et marinae adhibeantur. Victus ratio nutriens, aër spirando in pulmones trahendus saluber sit et purus, locus quo versantur, spatiosus, hiemis tempore modice calefactus esse debet. Nimis calor infantibus non convenit, eorum vestimenta levia, praecipue talia evitanda, quae functiones et motus corporis coerceant, exempli gratia: thorax ossibus ceti munitus.

2) Curandum est, ut omnes corporis secretiones rite procedant, cavendum, ne supprimantur vel diminuantur, ad plethoram jam mature apparentem impediendam.

3) Quoniam matres haemorrhagiae dispositionem ad infantes transferunt, Rieken iis olei jecoris aselli usum, de quo mox mihi dicendum erit, aut ore sumendi, aut enemate, commendat. Post partum infans nutrici sanae, optime feminae sub fuscis capillis, tradatur, quae autem continuo jecoris aselli oleo utatur. Eo magis videndum est, ut matris loco nutrix adhibeatur, quo certius constat, menstruorum tempore matris, mammam praebentis, infantes leviter commotos esse. Ad haec praecepta maxime adjuvanda infanti clysmata, ex hoc oleo parata, praeberi oportet et inde a dentitione internus olei usus,

emulsionis forma, incipiendus. Similis curatio pubertatis annis atque inprimis quum haemorrhagiae prodromi immineant, reiteranda.

Haemorrhagia jam exstante medicamenta, et ad usum internum et ad externum, proponenda sunt. Multa remedia, quorum vires in ceteris haemorrhagiarum speciebus aestimabantur, hoc in malo nihil praestant; illa igitur, quibus medici diversis in casibus et quo cum eventu utebantur, nunc proferam:

I. Remedia interna. Inter haec duo remedia sunt, quorum vis fere specifica habetur; alterum eorum Otto, alterum Rieken celebravit; ille quidem Natrum sulphuricum omnibus aliis praetulit, hic vero oleum jecoris aselli, ut optimum remedium laudavit.

1) De natri sulphurici virtutibus, hoc in malo adhibiti, omnes medici, qui Rieken praecedunt, consentiunt. Nasse hoc medicamentum optimo cum jure hac in calamitate nomen salis mirabilis mereri, dicit. Otto optimum effectum se vidisse contendit, si dosis, quanta ad alvum solvendam dari solet, bis vel ter in dies, altero quoque die, aegrotis porrecta erat. Usque ad Rieken omnes fere medici ad id refugerunt, nam in malo, in quo vel minima mora perniciosissima discrimina afferre potuerat, nemo, cui Natri sulphurici virtus cognita, aliud quoddam remedium experiri ausus est, cujus vires in hoc morbo adhuc comprobandae. Tum etiam, postquam haemorrhagia vehemens virium exanimitionem jam adduxit, omniaque debilitatis verae symptomata jam adfuerunt, Natrum sulphuricum, quod vix sperandum erat, promtum inveniebatur, ex quo patet hujus medicamenti virtutes non ejus vi organismi debilitandi adduci. Prima familia quae Natro sulphurico utebatur Smithiana fuit 1) et omnes cum hoc adjuncti cognatione summam fidem huic remedio habebant et haemorrhagia intrante ad illud confugerunt.

---

1) Dictionaire des sciences. T. IV. P. 190.

2) Rieken, qui haemorrhagiam hereditariam dispositione arthritica exortam esse demonstravit, Oleum jecoris aselli, nullo eventu Natri sulphurici celebrato usu in suis aegrotis proveniente, admovit, remedium jam tum temporis in arthritidis curatione optime cognitum, quod nostris temporibus omnes fere morbos sanare dicitur. In casu quo primum id remedium adhibuit, matri lactanti praebuit, cujus infans jam ecchymomatibus, signo illorum perniciosorum prodromorum, obtectum invenit. Haec per diem tria cochlearia sumsit. Quam diu mater oleo utebatur, infantis ecchymomata omnino evanuere, remedio tamen neglecto, mox redierunt. Quum in postero puer, cui sane diathesis ad haemorrhagias inhaerebat, vulnus digito acciperet, parvam tantum sanguinis copiam amisit.

3) Calomel tum adhibendum est, cum hepatis functiones turbatae sunt. In aegrotis, sanguifluxibus frequentissimis jam exhaustis, omnino est evitandum, nam in his salivatio facillime exoritur, quae in haemorrhagia hereditaria laborantibus valde timenda. Elsasser mercurii compositiones omnino rejecit ob earum debilitandi et sanguinis liquandi vim.

4) Inter remedia narcotica unum inter omnia novissimis temporibus celebritatem quandam nactum est, nempe secale cornutum, quod a medicis valde laudatur. Schmidt 1) in casu quodam serum lactis aluminatum, Elixir acidum Halleri, tincturam Cinnamomi, Gummi Kino, corticem Salicis, corticem Chinae, externe Alumen, Ferrum sulphuricum, solutionem Plumbi acetici frustra se adhibuisse dicit et sanguine per viginti quatuor horas emanante, hosce pulveres aegroto praebuisse.

Rcp. Secalis cornuti
Sacch. albi a ℥jj
M. f. p. Divide in x partes aequales
D. S. Alle halbe Stunde ein Pulver.

---

1) Medicin.-Zeitung 1836. No. 26.

Jam tertio pulvere haemorrhagia remisit, et quinto sumto omnino desiit, postquam somnus, quod crebro ad haemorrhagiae finem accedere solet, intravit. Ex eo tempore uno post quartam horam, usque omnes decem pulveres consumti erant, usus est aegrotus. Simul Corticis Cinnamomi infusum cum Elixir acido Halleri et Syrupo Rubi Idaei bibit. Haemorrhagia non rediit et aeger sensim sensimque ciborum nutrientium usu reconvaluit.

5) Lisfranc 1) in casu quodam, quo phlyctaenae in gingiva exortae, sanguinem emiserunt optimo cum eventu adstringentia adhibuit. Gargarisma laboranti ex decocto Rosarum Gallicarum (uncias quatuor) cum granis duobus Zinci sulphurici praebuit.

6) Purgantia saepissime commendata, praecipue in prodromorum, in plethorae stadio adhibenda sunt. In haemorrhagia ipsa magna cum cura admovenda, quia facillime in tam vehementi sanguinis profusione virium collapsum efficiunt.

7) Remedia in diversis stadiis probata Rieken nobis tradidit. Si plethorae symptomata adsunt et in haemorrhagiae initio Digitali purpurea et intercurrentibus parvis dosibus Ipecacuanhae utebatur. In inanitionis stadio magnam radicis Ratanhiae dosin, et quum omnis systematis irritabilis irritatio apparuisset Sabinam aegrotis praebuit. In reconvalescentiae stadio roborantia applicanda.

II. Remedia externa adjumenta tantum internis habenda. Eorum principalia nominabo et ea quae in utramque partem dicenda referam.

1. Saepissime quaestio utrum sanguinis detractiones in haemorrhagia hereditaria laborantibus faciendae, nec ne, agitabatur. Nonnulli eas probant, plurimi tamen contraindicatas

---

1) Behrend's Repertorium 1836. V. 411.

esse, recte ut mihi videtur, censent. Conspruch sanguinis detractionem ipsam cautelam habet et paululum in stadio plethorae brachii musculis incidit, quibus vulneribus sanguis vehementer effluebat. Hac de re loquens ipse dicit talem haemorrhagiam non usitatis remediis opprimi posse sed compressionem per hebdomades nonnullas, qua omne brachium livescit et intumescit, ad sanguinem sistendum necessariam fuisse. Talem cautelam facillime causam mortis fieri posse plane patet, quod ad demonstrandum exempla non desunt. Otto haemorrhagia hereditaria laborantem venaesectione decedentem, Brachmann puerum morsibus quinque hirudinum pereuntem, vidit. Certe ad haec evitanda sanguinis detractiones rarissime et in casibus perniciosissimis sunt instituendae.

2. Inter cauteria cauterium actuale opem in quibusdam casibus attulit, in plurimisque tamen magis temporariam quam permanentem. Ut gens Smithiana ad natrum sulphuricum confugere solebat, ita in gente, quam Reynell Coates observavit cauterium actuale quasi domesticum apparet. Quamquam ferrum candens minorem dolorem et inflammationem excitare solet, quam ferrum minus fervidum, quod gravissimos dolores et vehementissimam inflammationem producit, quae utraque res evitanda est, tale ferrum tamen hoc in malo, illi anteponendum, quia observatores eventum prosperiorem fuisse quam quum ferro candente uterentur, contendunt. In oris sanguifluxu, tam frequenti in hac calamitate, nonnulli cauterio actuali utebantur, quod hic omnino rejiciendum, quia ejus applicatio illum auget. Vapor enim productus, calor ferro redditus, magis quam in aliis corporis partibns superficiem vicinam irritant et novas haemorrhagias adducunt. In eo casu quem Salomo 1) descripsit et in quo ferrum candens palato molli novies impo-

---

1) Casper's Wochenschrift 1836. H. 7.

situm est, sanguis hanc ob rem juxta locum ustum semper profluxit. In tali haemorrhagia conditionem, per Physik propositam, sequi possumus. Hic animadvertit post operationes, in ore factas haemorrhagias, quae usitatis remediis sisti nequeunt, maximam jam exinanitionem efficientes, tum facillime opprimi, cum os patuerit et sanguis libere profluxerit. Hac enim ratione non solum aeris aditus expeditus est, sed etiam suctus, continua deglutitione concitatus, prohibitur. Ad hoc assequendum cortex subureus aegroto inter dentes imprimendus et nutrimentum, tubo in ventriculum ducto, praebendum est.

Ex cauteriis potentialibus lapis infernalis interdum, sed haud prospero eventu, adhibitus est.

3. Compressio.

Compressio indirecta nominata. Ea re neglecta quod haec non adhibenda est nisi certis in corporis partibus, raro etiam hoc in malo ea uti possumus, quum remedium anceps sit Efficit enim, etiam si haemorrhagiam sistit, quod haud saepe evenire Humphrey affirmat, inflammationem tam gravem et tanta ecchymomata brevi tempore, ut eam sumi necesse sit et tali modo, post breve auxilium, malum locali irritatione augeat. W. et S. Buel saepe ejus usu partem, supra loco sanguinem emittente, sitam intumescere, eam colore coeruleo affici, neque haec symptomata diminui animadverterunt, nisi haemorrhagia expediretur. Itaque tornaculum nunquam auxilium praebet et haemorrhagia praeterea vehementissimis doloribus crebro erumpit.

Compressio proxima, in vulnere ipso posita, difficillime applicanda est et semel tantum auxilium temporarium attulit. Ad sanguinem ex ore profluentem sistendum tota cavitas eo modo cera impleta est, ut naso solo spiritus duceretur. In omnibus aliis casibus medici ea frustra usi sunt.

4. Ligatura, quod optimum remedium in vulneribus, quae

sanguinem emittunt, habetur, rarissime adhibenda est. Haemorrhagia enim aut parenchymatosa aut arteriarum, sanguinem emicantium tunicae tenuissimae, statim filo dissectae sunt.

5. Ad haec remedia adjuvanda pedum et manuum lavationes, sinapismi in pedibus positi, superfusiones frigidae recommendari possunt.

Duae curandi rationes, et in haemorrhagia hereditaria laborantibus non applicatae, haud tamen contemnendae sunt. Altera est transfusio, qua in perditis casibus uti possumus atque nescio an remedium utile reperiatur. In alteram Rieken animum nostrum convertit. Jam supra commemoravi omnes haemorrhagia hereditaria laborantes facillime vaccinatione defunctos esse et hac re innisus, Rieken, cujus experientia magni aestimanda, cujus consilia consideratione dignissima, quia cum judicio acri et magna sagacitate aegrotos observabat, proponit materiam recentem, ex variolis vaccinis sumtam, vulneri, sanguinem emittenti imponere, qua forsan ejus profluvium sitatur.

VITA.

Natus sum ego, Philippus Guilelmus Gabriel, Berolini anno MDCCCXIV die XVIII mensis Novembris, patre optimo Philippo, Chirurgo aulico, quem jam fatis invidis mihi ereptum pio animo lugeo, et matre Ludovica e gente Prenzlowiana, qua salva adhuc superstite gaudeo. Confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Francogallicum, quod Berolini, tunc directore dilectissimo Palmié, floret, per novem annos frequentavi. Deinde, anno MDCCCXXXV, testimonio maturitatis instructus inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium hisce interfui praelectionibus:

Cel. Wolff de hodegetice, logice, psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali, methodologia medica;

Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Cel. Schlemm de osteologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. J. Mueller de anatomia et universa et organorum sensuum et comparata nec non de physiologia. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Shlemm mihi duces fuere.

Praeterea has frequentavi scholas: Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxiliis in repentinis vitae periculis afferendis; Cel. Eck de physiologia; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de aciurgia; Ill. Juengken de chirurgia speciali, de aciurgia, de ophthalmiatrice; Exper. Angelstein de operationibus ophthalmiatricis; Ill. Hecker de historia medicinae; Cel. Froriep de anatomia chirurgica. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum Bartels, Wolff jun. Trüstaedt, Rust, Dieffenbach, de Graefe, Kluge, Juengken, Wagner.

Quod ad rem veterinariam pertinet, scholas audivi Ill. Gurlt de anatomia animalium domesticorum.

Omnibus his viris honoratissimis maximas, quas possum, gratias habeo, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, dissertatione thesibusque publice defensis, spero, fore ut summis in medicina et chirurgia honoribus impertiar.

THESES.

1. Syphilis jam in antiquitate viguit.
2 Pulsus organo alicui proprius non exsistit.
3. Bellum magis quam Cholera morbus populos afflixit.
4. Chlorosis sedes in systemate reproductivo.
5. Quod os hyoideum piscium vocat Cuvier, id sternum judicandum est.